

- doctores quam auditores erroris insimulent. Contra vero omni studio pugnandum a concionatoribus, ne animis hominum instillentur opiniones illae blandientes rationi et hominibus ingeniosis. Si quis vero iam occupatus sit sententia contraria, eum aut in viam reducendum et monendum, vt non prius
- 5 approbet sententiam damnatam a Luthero et ecclesiis Germanicis, quam pia synodus, quam nusquam tamen futuram arbitrantur neque cupiunt etiam, hoc faciendum censeat aut mouendum cum loco. Isti oratores cum quibusdam suis aculeis etiam nostrum pungant aut fodiant latus, ideo paululum cum illis ex veris fundamentis disputabimus.
- 10 I. Sit haec prima propositio: Necessesse est omnes homines in controuersiis de fundamento doctrinae inquirere et amplecti veritatem traditam voce diuina nec moueri vlla contraria autoritate hominum prohibentium hanc inquisitionem vel confessionem. Testimonia sunt manifesta: „Hunc audite“,²⁵⁴ „Qui me confessus fuerit coram hominibus“²⁵⁵ etc. „Si quis aliud euangelium docuerit, anathema sit“²⁵⁶ etc. „Fugite idololatriam“,²⁵⁷ „Fundamentum aliud ponere nemo potest.“²⁵⁸
- 15 II. Interdum in ecclesia mouentur lites de adiaphoris ab hominibus inquietis, interdum etiam fundamento assuuntur stipulae ab aliquibus, id est opiniones minus commodae. Ideo pij ad tuendam concordiam omnem possunt et debent tolerare infirmitatem eorum, qui aliquid habent caliginis, cum tamen sinceri sint in praecipuis doctrinae articulis. Imo in vsu rerum mediarum, in refutatione etiam leuium errorum, iustum est firmiores eam vsur-[91:]pare prudentiam, ne animi infirmorum sauciantur. Sic longo tempore concordantes fuerunt ecclesiae orientales et occidentales, etsi fuit dissensio de aliquibus
- 20 rebus leuioribus, ritibus et opinionibus. Atque ita dicitur: Non deserentes congregationem vestram,²⁵⁹ item: Nemini sitis offenculo.²⁶⁰
- III. Iudicia in ecclesia non valent autoritate regia vel praetoria, sed propter autoritatem verbi diuini, cuius iudices sunt interpretes et testes. Neque constituenda est illa oligarchica vel tyrannica potentia, quasi illi soli potestatem
- 30 habeant iudicandi de doctrina, qui funguntur munere publico, reliquis vero vt pontificij dixerunt incumbat obediendi necessitas. Sed pertinent iudicia ad totam ecclesiam. Etsi rectum est in ea re seruare ordinem sicut dicitur: „Tunc visum est apostolis et praesbyteris cum tota ecclesia“,²⁶¹ item potestis singuli dicere: „Si fuerit sedenti reuelatum, taceat prior“,²⁶² „Spiritus non extinguite,

²⁵⁴ Mt 17,5 par.

²⁵⁵ Lk 12,8.

²⁵⁶ Gal 1,8.

²⁵⁷ I Kor 10,14.

²⁵⁸ I Kor 3,11.

²⁵⁹ Vgl. Hebr 10,25.

²⁶⁰ Vgl. Act 24,16.

²⁶¹ Act 15,22.

²⁶² I Kor 14,30.